

PAVLI HERMANNI
LAPIS
MATERIAE MEDICAE
LYDIUS

PRAEFATIO.
LECTORI BENEVOLO

Salutem plurimam dicit
D. CHRIST. FRID. WELSCHIVS.

Præsens opusculum, Benevole Lector, quod tibi vice hac
offertur, non meus, sed Beati Pauli Hermanni, Medici &
Professoris Lugduno Batavi olim celeberrimi, Botanici vero
incomparabilis, Labor est. Beati scribo Hermanni, Præce-
ptoris mei quondam, imprimis in Re botanica, doctissimi, &,
quod primo loco erat nominandum, infucati & fidelissimi.
Hic hasce pagellas eum in finem conscriperat, ut sibi, ad lectio-
nes super Materia Medica habendas se Præparanti Enchiridii
loco inservirent commode. Singulorum Clarissimus hic Vir
& simplicium, & compositorum Medicaminum constitutionem
viresque exacte callebat, nitide & nervose, secundum ductum
naturæ ipsarum rerum, eadem describebat, mellitoque ore de-
scriptiones suas illustrabat, variisque remediorum formulis
suppeditatis ad Praxin apte applicabat, ac Praxi confirmata re-
media non vanorum Empiricorum more celata volebat, sed ut
sincerum probumque decet Medicum, suos fideliter docebat,
quo & illi aliquando indigo proximo inservire iisdem possent.
Inter illos, qui ab hujus Viri Clarissimi ore eo tempore pende-
bant, uberrimamque doctrinam colligebant, ego etiam fui,
quod, quam diu vixero, maximis felicitatis meæ monumentis
annumerabo. Omnen favorem mihi, discendi cupido, ab hoc
Viro exhibitum, satis dilaudare velle, conamen sane esset irri-
tum & impossibile. Sufficiat ergo, si brevissimis coram univer-
so litterato orbe profitear, me tantum a Beato Hermanno &
favoris & fidelissimæ doctrinæ accepisse, quantum si centum si-
mul vixisset annos officiis meis demicererit haud potuisse.

(a)

Non

Non itaque dulcis, non jucunda, non svavis mihi Beati Hermanni est recordatio, sed amara semper & perquam acerba; Plus enim vice simplici undosas ex oculis meis extorsit lacrymas. Minime namque fallor, si mihi persuadeo, cum incomparabili Hermanno omnes Botanophilos Duceum suum & Principem, me vero, sit venia verbis, fidelissimum meum Præceptorem, inter omnes, quotquot' unquam habui, Patronumque certum & immutabilem, amisisse. Ad alia quam plurima fidelitatis suæ erga me testimonia præsens opusculum, suum nempe, ut vocabat, Enchiridion, paucis, & nemini sane, nisi quem ambat infucatumque erga se inveniebat, ab eo communicatum, jure meritoque refero. Scio equidem optime, Manuscriptum quoddam de materia medica agens ex ejus discursu super hoc Enchiridio a nonnullis suis Auditoribus calamo volante exceptum compilatumve, apud quosdam inveniri. Verum, ipsum Enchiridion, seu concinnam ejus materiæ Medicæ examinandæ Methodum, possident, ut opinor, pauci. Manifestum autem hunc Beati Hermanni labore, paucis quidem pagellis complexum, aet magna adhibita opera plurimaque experientia ab eo exantlatum, facio, omniumque expono oculis propterea, ut sanctis Hermannianis Manibus illud reddatur, quod iis debetur. Haud enim sine maximo tedium hactenus aliquoties observavi, nonnullos Autores, quos facile nominare possem, ni eorum nominibus & famæ parcere magis placeret, in describendis simplicium imprimis plantarum virtutibus hunc Cl. Hermanni laborem fecisse suum. Plurima namque simplicia, etiam illa, quæ certe nunquam viderunt tam accurate ad mentem Hermanni describunt, ut jurares, eos ipsos singula vel degustasse, olfecisse aliisque experimentis indagasse; Vel genium Beatissimi Hermanni iis affuisse & quæ scribere deberent, dictasse, calamumque direxisse; Quæ sane audacia & scribendi prurigo sæpe ad risum meum disposuit animum. Patebit igitur, ut spero, in posterum manifeste omnibus, hos Autores non ex fonte ipsius naturæ, quæ vera erat Methodus Hermanniana, sed ex alieno hoc eruditiois nectar haüsisse. Errasse tamen etiam quandoque Beatum Hermannum, non negabo; sed homo erat: Erravit ille, erramus nos, & errabit Posteritas. Vale!

I. N. I.